

comœdias, licet minutori illo opere, plus quàm viginti millia lectionum variantium deprehenderint eruditi ?

Quà de re audiamus doctissimum *Bentheley* qui præclaram Terentii editionem concinnavit : Je dirai avec confiance, que dans cet Auteur, dont les ouvrages ne font pas à beaucoup près un ouvrage aussi gros que le nouveau Testament, j'ai trouvé vingt mille diverses leçons : que seroit-ce donc, si l'on collationnoit les manuscrits de Terence avec la même précision, et, si j'ose le dire, avec la même minutie, que l'on a fait ceux du Nouveau Testament. Je suis moralement assuré que, même sur la moitié moins d'exemplaires, les variantes de ce poète monteroit à plus de cinquante mille. (Critique du discours sur la liberté de penser.)

Denique hæc lectionum diversitas, quæ verba, non sensum afficit, sacrorum librorum integritatem confirmat, nedùm infirmit. Quo majori enim numero sunt alicujus libri exemplaria, eo difficilius est illum quoad substantiam corrumpere, eoque facilius eum à suis mendis repurgare, collatis scilicet inter se exemplaribus : atqui lectionum varietas probat exemplarium multitudinem : namque ubi unicum est exemplar, ibi non potest esse lectionum diversitas.

Inst. Si divini essent Evangelistarum libri, eos Deus ab illis mutationibus defendisset.

R. Divinam Providentiam Evangeliorum librorum in his omnibus servasse integros, quæ ad Religionem, et rerum substantiam pertinent : quod sufficit ad cultus divini perpetuitatem, utque suum finem Deus assequatur. Numquid velit incredulus à Deo miracula continuo fieri, ut variationibus occurrat rerum humanarum conditioni illigatis, et quæ nullius sunt ad Religionem momenti ?

Propositam difficultatem sic explodit DD. de Montazet, (*ibid.* pag. 101.) *En est-il moins vrai, que ce sont par-tout les mêmes dogmes, la même*

morale, les mêmes prédictions, les mêmes promesses, la même suite d'histoire ; que de tous les manuscrits, de toutes les versions, de tous les livres, il en revient toujours la même substance, la même législation, la même foi ; que tous, sans exception, nous présentent J. C. opérant des prodiges, prêchant une doctrine sublime . . . mourant au milieu des douleurs et des ignominies, sortant du tombeau par sa puissance, envoyant ses Apôtres dans tout l'univers, s'élevant au plus haut des Cieux, et répandant de là son esprit sur l'Eglise naissante. . . Que pouvions-nous demander de plus à la divine Providence, pour être assurés que ces monumens sacrés nous sont parvenus dans leur intégrité ?

CAPUT III.

De veritate factorum quæ in Novi Testamenti libris continentur.

MAXIMI momenti est quam aggredimur quæstio ; si enim constiterit factorum seu miraculorum, quæ in Novi Testamenti libris narrantur, veritas, divina sit Religio Christiana necesse est. Quapropter sit

PROPOSITIO II.

Quæ in Novi Testamenti libris narrantur facta, omnimodam fidem sibi vindicant.

Prob. Facta illam omnimodam fidem sibi vindicant, à quibus omnem falsitatis suspicionem remouent vel severioris critices regulæ ; atqui ita se habent facta Evangelica. Factorum enim historicorum veritas ex tribus æstimari solet : 1^o. ex conditione et dotibus Scriptorum ; 2^o. ex

ipsa factorum natura ; 3^o. ex modo quo referuntur, atqui hæc tria simul conjuncta, eam factis Evangelicis fidem conciliant, quâ major dari non possit.

Prob. 1^a. pars. Cum Scriptores plurimi ea facta referunt, quorum vel testes oculati fuerunt, vel cœvi, et pro quibus asserendis vitam abjecerunt, et quando ea est ipsorum conditio et indoles, quæ omnem fraudis suspicionem removeat ; profectò ex hujusmodi Scriptorum parte nutare non potest fides historica ; atqui tales sunt Scriptores Evangelici.

1^o. Quidem fuerunt multi, et factorum quæ narrant vel testes oculati, vel cœvi. Namque octo sunt, nempe *Matthæus*, *Marcus*, *Lucas*, *Joannes*, *Paulus*, *Petrus*, *Jacobus* et *Juda* ; ex iis autem quinque, scilicet *Matthæus*, *Joannes*, *Petrus*, *Jacobus* et *Juda* erant Christi Discipuli, cum ipso vixere, ac proinde fuerunt testes oculati. *Quod vidimus oculis nostris*, inquit *Joannes*, *quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ . . . et testamur, et annuntiamus vobis.* (*1. Joan. cap. 1. v. 1. et 2.*) *Qui vidit, testimonium perhibuit ;* (*Joan. cap. 19. v. 35.*) tres verò alii, nimirum *Lucas*, *Marcus* et *Paulus* fuerunt illis factis cœvi ; in regionibus ubi vixerat Christus nati, millies audierant miraculorum Christi testes oculos ; ergo 1^o. facta Evangelica à multis referuntur Scriptoribus, qui fuerunt vel testes oculati, vel cœvi.

2^o. Eorum conditio, indoles, mores, omnem fraudis suspicionem repellunt. Erant enim homines ex infima plebe, pauperes, illiterati, rudes, inculti, tardioris ingenii, quibus proinde universum orbem decipiendi consilium ridiculè prorsus affingeretur ; morum integritate et innocentia ita conspicui fuerunt, ut nullum in ipsius vitium reprehendere potuerint *Celsus*, *Porphyrius*, et alii Religionis Christianæ hostes acerrimi. Doctrinam sanctam, à dolis et mendaciis prorsus alienam

prædicant. In ipsis eminent mirus animi candor et singularis modestia ; suos nævos ingenuè produnt et confitentur, suam animi imbecillitatem ; ambitiosas contentiones inter se olim exortas, incredulitatem sibi à Christo non semel exprobratam ; bona temporalia spernebant, cum suis omnibus propter Christum valedixerint ; denique pro confirmanda factorum Evangelicorum veritate sanguinem suum effuderunt ; atqui nemo dixerit hujus indolis Scriptores ad fraudem concinnandam esse comparatos.

Prob. secunda pars, quæ factorum Evangelicorum naturam spectat : facta gravissimi momenti, diuturna, publica, sensibus obvia, ab iis admissa quorum interfuit ea pernegare, nequeunt in falsitatis suspicionem venire : atqui ejusmodi sunt facta Evangelica.

1^o. Quidem sunt gravissima, et proinde ad excitandam attentionem aptissima. Agitur enim de nova Religione instituenda, quæ Mysteria rationi impervia, et morum præcepta, cupiditatibus ingrata, proponit ; agitur de abroganda Religione Judaica, de convellenda Ethnicorum superstitione ; agitur de innumeris prodigiis, de cæcis videntibus, de mutis loquentibus, de surdis audientibus, de claudis ambulatibus, de ejectis dæmonibus, de mortuis ad vitam revocatis ; atqui omnia hæc facta esse gravissima nemo negaverit.

2^o. Facta illa fuerunt diuturna et publica, non uno vel altero momento edita, sed toto illo tempore, quo Christus et Apostoli Evangelium prædicarunt ; non clanculùm et coram paucis testibus peracta sunt, sed in media Hierosolyma, in templo, in Judæa, in Samaria, coram immensâ hominum multitudine.

3^o. Ita erant sensibus obvia, ut ne infantes quidem circa illa decipi potuerint. Quis enim sibi persuadeat se maris fluctus calcasse incolumem, se cum multis hominum millibus saturatum fuisse

paucis panibus et pisciculis : se propriis oculis conspexisse Lazarum in tumulo mortuum , foetentem et postea vitæ restitutum ; se Christum vidisse à mortuis redivivum , secum ambulantem , comedentem , colloquentem , si nihil horum omnium viderit ? Quis crediderit se miracula patrasse , donum linguarum accepisse , si nihil horum contigerit ?

Prob. tertia pars, nempe ad fidem factis Evangelicis asserendam maxime accommodatum esse modum quo referuntur. Non nisi enim sinceritatem ingeniumque animi candorem spirat ; facta vel splendidissima , cum ea sermonis simplicitate referunt Scriptores sacri , quæ omnem fraudis suspicionem removet. Nefandam Christi mortem placido sedatoque animo narrant : *Ibi*, inquit, *crucifixerunt eum.* (*Luc. 23. 33.*) In eos à quibus vexati fuerant , nulla jactant convicia , imò nihil quærimoniæ sibi permittunt ; sed omnia nude , simpliciter , placideque commemorant. Circumstantias omnes loci , temporis , personarum , fraudi , si qua esset , detegendæ aptissimas , describunt. Appellant vicos , urbes , annum , mensem , diem ; proferunt nomina testium coram quibus res gestæ sunt : ergo tum scribendi modus , tum Scriptorum conditio , ingenium , mores , tum factorum quæ referuntur , natura , omnimodam narrationi Evangelicæ fidem conciliant.

Solvuntur objecta.

Obj. 1^o. Scriptores Evangelici stylum simplicem , et alios sinceritatis characteres affectant , ut facilius fucum faciant ; quod ipsis mendacibus satis familiare est : ergo simplicitas illa veraces non probat Apostolos.

Resp. Neg. ant. Quia si valeat istud argumentum , jam ruit omnis certitudo historica. Quæcumque enim in Scriptoribus eluceat sinceritatis species , semper dici poterit hanc fictam esse et fucam.

Præterea vera est quæ in Apostolis eminet ingenitas ; tum quia nihil ipsis excidit , quo dolus prodatur , quanquam alii post alios diversis temporibus scripserint ; tum quia rudes erant tardiorisque ingenii , ut dicitare solent Deistæ : atqui impossibile est hujusmodi homines decipiendi consilium sub ementitæ sinceritatis larva sic occultasse , ut nullum fraudis indicium ipsis elapsum fuerit ; tum quia pro confirmandis quæ narrant factis mortem alacres subiére ; nemo quippè vitam pro mendaciis à se cognitissimè abjicit , ut sic exponit Illustrissimus Ludg. Archiepiscopus. *La mort bravée par les Apôtres, imprime à leur témoignage le dernier sceau de la vérité. Nous conviendrons qu'un homme abusé, et affermi dans la séduction par le temps et par les préjugés, peut donner sa vie pour de fausses opinions. La conscience alors, quoique dans les ténèbres, tient lieu de vérité et de lumière.... mais que des séducteurs, sans intérêts et sans motifs, ou pour la seule satisfaction de faire prévaloir l'imposture, affrontent les horreurs du trépas, le cri de la conscience, les menaces de Dieu c'est une espece de délire, qui est contre la nature, et dont il n'y a pas de traces dans l'Histoire.* (*Pag. 103. Edit. in-4^o.*)

Inst. Apostolorum sinceritas ex eo maxime colligitur , quod nullam ex suâ fraude utilitatem sibi adpromittere potuerint ; atqui propriam gloriam aliamve mercedem sperare potuerunt , quamvis sua eos spes deluserit : ergo , etc.

Resp. Neg. min. 1^o. Quia laudis humanæ cupidos fuisse Apostolos ipsimet Pagani nunquam objecere. 1^o. Quia toti sunt in commendandis humilitate , patientia , rerumque temporalium contemptu. 3^o. Quia si de factis quæ narrant certi non fuerint , nulla potuit ipsis spes affulgere , genus humanum ad se pertrahendi , et confictas fabulas persuadendi. 4^o. Si quid utilitatis primum sperassent , tot annorum experientiæ edocti , ab errore suo tandem resipuissent , fraudemque sibi sterilem , imò perniciosam , pro-

movere desiissent. 5°. Si nominis celebritatem aliamve mercedem quæsiissent, doctrinam vulgaribus præjudiciis et cupiditatibus accommodatam proposuissent: atqui tamen austeram prædicant dogmata, iis contraria cupiditatibus et opinionibus, quæ tunc passim dominabantur.

Obj. 2°. Si certissima essent quæ narrant Evangelisti Christi miracula, Judæi omnes ad Religionem Christianam convolassent: atqui tamen plerique eam rejecerunt; ergo, etc.

Resp. Neg. maj. 1°. Enim veritates, vel apertissimas, aliquando rejici nemo nescit, præsertim cum opinionibus jam receptis, præjudiciis, consuetudinibus opponuntur. Hinc plerique Judæi qui ex falsa opinione, Messiam potentissimum fore Principem sibi fingebant, quique morbos die Sabati curare nefas esse arbitrabantur, Christum tantquam impostorem, violatæ legis reum habuerunt ipsisque miracula diabolo tribuerunt; hinc etiam Pontifices propriæ utilitati servientes, suoque in Christum odio, suaque invidia excæcati, ipsi nullam fidem adhibendam esse docuerunt.

2°. Quamvis indubitata essent Moyses miracula, et sub Israelitarum oculis peracta; quamvis Deum inter tonitrua et fulgura loquentem audiissent, paucis tamen interjectis diebus, dum Moyses tabulas Legis acciperet, in Deum rebellârunt, vitulumque aureum adorare non veriti sunt; pariter ergo potuerunt Judæi Christi et Apostolorum miraculis, licet verissimis, refragari.

3°. Ex Judæis plurimi Religionem Christianam amplexi sunt. Quinque millia, prædicante Petro, relictis Synagogæ castris, Christo nomen suum dederunt; atqui Judæi, qui superatis præjudiciis: Christo sese addixerunt, plus valent ad confirmandam factorum Evangelicorum veritatem, quam ad eam infirmandam major reluctantium numerus: numquid enim, abjecta lege Mosaica, in quâ nati erant, in Ecclesiam Christianam transiissent, nisi

eorum contumaciam fregissent splendida, quibus collucebat nostra Religio, miracula?

4°. Tandem illam Judæorum incredulitatem non semel prædixerant Prophetæ; *Non erit ejus populus qui eum negaturus est.* (Dan. cap. 9.) Nedum igitur Christianæ Religionis veritati quidquam detrahat obstinata Judæorum cæcitas, ipsam contra plurimum confirmat. Falsa enim esset, si eam omnes Judæi suscepissent, quia suo effectu fraudarentur Prophetarum oracula.

Obj. 3°. Perierunt scripta, quibus olim Philosophi gentiles facta Evangelica, impugnabant: ex iis non supersunt, nisi fragmenta quædam apud Patres, à quibus haud dubie mutilata sunt: jam verò si existerent veterum Philosophorum opera, fortè Evangelistarum mendacia in apertam lucem proferrent.

Resp. 10. Si hujusmodi conjectationibus convelleretur factorum veritas, quæ omni argumentorum genere demonstrata sunt, jam nihil certi in tota historia erit. Quibuscumque enim probationibus facta quædam muniantur, responderi poterit contumax aliquis incredulus, deperditos fuisse libros, qui hujusmodi factorum falsitatem ostendebant.

2°. Philosophorum gentilium Scripta, non est quod tantoperè extollant Deistæ: cum enim adhuc existerent, homines penè innumeri, factorum Evangelicorum veritate percursi, Religioni Christianæ nomen suum dabant, quamvis naturæ corruptæ sit maximè ingrata, pro eaque defendenda Martyrium fortiter tolerârunt. Non tanto igitur pretio erant illa Philosophorum opera, nec Apostolos mendacii convincebant.

3°. Cum temporum injuriâ perierint illi Philosophorum libri, quid in ipsis scriptum fuerit, divinare non possunt Deistæ; quo igitur jure asserunt, iis libris, si existerent, plurimum innuendum esse Evangeliorum auctoritatem?

4°. Argumenta Paganorum quæ referunt simul et refellunt SS. Patres, non minùs subtilia sunt, quàm ea quæ ab hodiernis Deistis proponuntur; cur ergo ea fuisse à SS. Doctoribus truncata, tam confidenter affirmant?

Obj. 4°. Facta Evangelica non alia firmantur auctoritate, nisi Evangelistarum, qui Christi fuerunt Discipuli et amici, quique in propria causâ non sunt audiendi; ergo facta illa non sunt certa.

Resp. 1°. Quamvis sola Evangelistarum auctoritate niterentur facta Evangelica, nihilominùs essent indubitata. Octo enim sunt, ut jam diximus, Scriptores coævi qui ea referunt, et apertissimos sinceritatis characteres exhibent; vix autem ullam reperias historiam, quæ sibi tot vindicet auctores coævus, tantæque fide dignos.

Resp. 2°. non ideò ipsis fides est deneganda, quòd fuerint Christi discipuli et amici. Numquid enim historiæ Græcæ et Romanæ in falsitatis suspicionem veniunt, quamvis ab indigenis, nempè à Græcis et Romanis scriptæ fuerint, qui patriæ suæ erant amantissimi? præterea cur Christo, tanquam Magistro, firmiter adhæserunt Apostoli? cur pro eo vitam in suppliciis abjecerunt? Nonne quia ipsis comperta erat Christi miraculorum veritas?

Resp. 3°. Hæc miracula inficiari non ausi sunt ipsimet Pagani et infensissimi Religionis Christianæ hostes. Qua de re consule de Houteville, (Tom. 2. pag. 124.) et librum cui titulus: *La Religion Chrétienne autorisée par le témoignage des anciens Auteurs païens*: idem sic testatur Archiepiscopus Lugdunensis: *Les payens eux-mêmes n'ont pas osé contester les miracles de J. C. Celse, qui a attaqué la Religion avec tant de malignité et tant d'artifice, n'a jamais entrepris de les nier. Julien tâche de les déprimer; mais il ne les révoque pas en doute. Et dès que leur certitude en a imposé à ces ennemis implacables du Christianisme, de quel front les incrédules modernes prétendent-ils être plus éclairés, et faire*

faire prévaloir leur seule témérité sur dix-sept siècles de respect et de prescription? (Instr. Past. pag. 110 édit in-4°.)

Obj. 5°. Christiani non semel ficta narrarunt miracula, ut Religionem Christianam magis commenderent; ergo idem de Apostolis suspicari licet.

Resp. Neg. conseq. 1°. Argumentum propositum istis simile est: ex Historicis profanis multi fabulas narrant; ergo nulli historiæ fides debetur. In Gallis non desunt nummi adulterini; ergo nullus est sincerus. Si nonnulli Christiani, plus æquo creduli fictitia miracula commemorant, non ideò rejicienda sunt vera. Sed utraque juxta sanæ critices regulas diligenter excutienda sunt; tuncque compertum erit inconcussa esse Christi miracula; prodigia verò falsa nullis inanti probationibus. Idcirco Christiani prudentiores et doctiores, quædam miracula à viris superstitiosis invecata, et fabulosas quasdam historias, prælucente criticis lumine, explosaverunt.

2°. Absurdè prorsus diceretur à Scriptoribus Evangelicis conficta esse miracula, ut Religionem Christianam facilius persuaderent; fraus in illa stare non potest cum ea sinceritate, quæ enim Apostolorum verbis et factis elucet, ut constat ex dictis; præterea si existimassent licitum esse in Religionis gratiam mentiri, cur multa in Evangelicis occurrunt cupiditatibus ingrata, quæ à suscipienda Religione Christiana populos deterrere poterant? Denique si ficta miracula voluissent obtrudere, numquid ea retulissent ut publica, omnibusque Judææ habitatoribus notissima? Numquid locorum, temporum, personarum circumstantias descripsissent? Indè enim fraus omnibus statim patuisset.

Obj. 6°. Illi nullam merentur fidem, qui potuerunt decipi: atqui Scriptores Evangelici, etc. Potuit enim Christus esse Medicus, 1°. peritissimus qui plurimos morbos aliis insanabiles depelleret; 2°. callidissimus, qui artem suam ipsismet discipulis

occultaret; ita ut illas sanationes velut totidem miracula habuerint, quamvis naturæ vires non superarent; ; ergo; etc.

Resp. Neg. min. Decipi non potuerunt Apostoli circa morborum sanationes à Christo peractas. Hac enim ratione nituntur adversarii, quòd Christus ægrotis potuerit occulta quædam remedia furtim applicare, eos solo voluntatis suæ imperio sanari exterius simulando: atqui ridicula perinde ac impia est hæc ratiuncula. 1^o. Quia in illa hypothese Christus esset omnium impostorum vaferrimus. Atroce enim hanc calumniam satis propulsant, tum ejus doctrinæ sublimitas, sanctitas, excellentia; tum morum integritas vitæque innocentia; tum ipsa mors quam in suæ missionis divinæ confirmationem sponte pertulit. 2^o. Ægroti quos sanabat Christus, in pristinum statum illicò restituebantur: atqui si remedia naturalia adhibuisset, non nisi lentè et sensim convaluissent; sic enim agere natura consuevit.

3^o. Fingunt adversarii, Christum fuisse omnium medicorum peritissimum. Quo pacto autem fieri potest, ut Christus qui suam antè prædicationem, ne primoribus quidem labris litteras attigerat, sicut ipsi exprobrabant sui populares, in arte medicâ præ omnibus excelluerit? 4^o. Numquid Pharisæi aliique Christi hostes infensissimi, ipsius in curandis ægrotis fraudem non advertissent? Dolum detegere eo facilius erat, quòd non clanculum, sed palàm eos sanaret. 5^o. Si potuerint Apostoli circa mirabiles quas operabatur Christus sanationes decipi, certè idem de iis dici non potest, quas ipsi in nomine ejus peragebant. Numquid enim ignorare potuerunt, utrum adhiberent remedia, necne? ergo, etc.

Obj. 7^o. Narrat Matthæus (cap. 2.) Magos ad Bethleem, stellâ duce, venisse; quod sanè absurdum est: stellæ enim, utpotè à nobis remotissimæ, nec urbem, nec etiam regionem aliquam,

multò minus domum designare possunt; si verò dixeris stellam propius ad terram accessisse, ut domum indicaret, ubi jacebat puer Jesus, non minor erit insulitas: hæc quippè stella non Bethleem, non totam Judæam tantum, sed integrum etiam hemisphærium nostrum suâ magnitudinæ immensâ cooperuisset.

Resp. Vox *stella*, quam usurpat vulgatus interpres, non stellam tantum propriè dictam significat, verum etiam corpus aliquod lucidum, quo sensu à Virgilio dictum fuit.

Sæpe etiam stellas, vento impendente videbis
[Præcipites cœlo labi. (Lib. 1. Georg.)

Stella etiam à nobis dicitur meteorum quoddam ignitum, quod frequenter in atmosphæra splendescit in modum stellæ decidentis, nec populus tantum ita loquitur, sed ipsimet Philosophi. Quinimo stellæ, gallicè, *Etoiles*, dicuntur factitia quædam meteora, quales sunt igniculi, in quos erumpunt tubuli igniti volantes (*fusées volantes*); itaque stella quæ Magis præluxit, non aliud fuit quam meteorum lucidum, quod Deus non procul à terra per miraculum excitaverat, et ejus cursum omnipotenti suâ manu dirigebat.

Obj. 8^o. Josephus qui ab Herode crudeliter gestæ non dissimulat, silet tamen de puerorum cæde, quos interfici jussit, teste Matthæo (cap. 2.) cum audiisset natum esse novum Judæorum Regem; falsa est igitur Evangelistæ narratio.

Resp. Multa sunt apud Suetonium vel Tacitum, quæ in dubium non revocantur, quamvis ab alterutro tantum referantur; cur ergo fides Matthæo negabitur, qui factum memorat publicum, quod suo tempore, suaque in patria contigit? Puerorum cædem fortè siluit Josephus, ne factum illud occasionem præberet multa de Christo, et de ipsius orta in Bethleem quærendi, undè pronum esset concludere, Vespasianum, utpotè in Bethleem mi-

nimè natum, non esse Messiam. Vilis enim ille Imperatoris adulator, Vespasiano Prophetias ad Messiam pertinentes accommodaverat.

Quidquid sit, testimonium habemus quod apud adversarios ipsius Josephi auctoritati prævalere debet, nempe Augusti Imperatoris, de quo ita narrat Macrobius: *Cùm audiisset inter pueros, quos in Syria Herodes Rex Judæorum intra bimatam jussit interfici, filium quoque ejus occisum, ait: melius est Herodis porcum esse, quàm filium.* (Lib. 2. Saturnal. pag. 332 Edit. Variorum 1670. Lugd. Batav.)

Obj. 9°. Refert Matthæus dæmones quos Christus expulerat, in porcorum gregem irruisse, qui in mare præcipitem se dedit: atqui hæc narratio non potest non esse falsa. Numquid enim porcos nutriebant Judæi, quibus prohibitum erat ne carnem porcina comederent?

Resp. Neg. min. Judæis quidem vetitum erat, nè porcorum carnem comederent: minimè verò ne eos nutrent; quidni ergo potuissent porcos saginare, ut eos populis vicinis venundarent? Nota sunt hæc Imperatoris Augusti verba; *melius est Herodis porcum esse, quàm filium.* Petronius Judæos accusavit quòd porcum colerent. *Judæus licet, et porcinum numen adoret.* (Saryr. fragm.) Quæ verba satis probant à Judæorum more alienum non esse, ut porcos nutrent. Denique res gesta est apud Gerasenos Judææ finitimos, quos Religionem Græcam secutos esse multi existimant. Quo posito, nihil esset difficultatis.

Obj. 10°. Sic narrat Marcus: *Alià die cùm exirent à Bethania esuriit. (Christus) cùmque vidisset à longè ficum habentem folia, venit, si quid forte inveniret in eà; et cùm venisset ad eam, nihil invenit præter folia; non enim erat tempus ficorum; et respondens dixit ei: jam non ampliùs in æternum ex te fructum quisquam manducet: et audiebant discipuli ejus.... et cùm manè (posterà die) transirent, vide-*

runt ficum aridam factam à radicibus. (Marc. cap. 11. v. 12. 13. 14. et 20.)

Unde sic argumentantur increduli: ibi refert Marcus tunc non fuisse tempus ficorum: atqui in ea narratione aperte se prodit falsitas. 1°. Enim cùm in Palæstina frequentes essent arbores ficulnæ, nemo ignorare potuit, quo tempore fructus dare consuescerent. Quis, v. g. apud nos nesciat quâ anni tempestate colligi soleant cerasa (*les cerises*) eo igitur ipso quòd Christus ficus in arbore quæverit, certum est tunc adfuisse illorum fructuum tempus. 2°. Quis unquam, nisi planè desipiat, arbori maledixerit, quod in ipsâ fructus non invenit, quo tempore eos proferre non consuevit? 3°. In eo consentiunt omnes, quòd ficus maledicta et arefacta, divinæ vindictæ populo Judaico impendentis fuerit signum. Inter figuram autem et rei eventum aliqua intercedere debet affinitas: nulla verò prorsus foret inter arborem maledictam quia fructus alieno tempore non protulisset, et populum qui reprobandum erat propter bonorum operum omissionem, quæ ab eo repetebat Deus, à quo tot acceperat beneficia.

Resp. ad solvendam hanc difficultatem confugiendum esse ad textum originalem, sive Græcum. Scilicet vocula Græca *ou* quam vulgatus interpret vertit per *non*, significat etiam *ibi*. In Dictionario enim Constantini legitur particulam *ou* adhiberi pro *opou*; aliunde in Dictionario Græco-Latino Hederici (*d' Hederic*), cujus apud eruditos maxima laus est, annotatur vocem *opou* aliquando significare *ibi*. Unde sic verti potest textus Græcus: *ibi enim* (in hac Provincia) *erat tempus ficorum.*

Hinc patet apud Marcum quamdam esse verborum trajectionem (*transposition des mots*) Scriptoribus sacris satis familiarem. Si velis igitur naturalem rerum seriem restituere, sic ordinanda est Evangelistæ narratio: *Cùm vidisset Christus à longè ficum habentem folia, venit si quid forte inveniret*

in eâ ; ibi enim (in ista Provincia) erat tempus fœcorum ; et cum venisset ad eam , nihil invenit præter folia ; et . . . dixit ei : jam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet. Sic omnia cohærent , et prioribus posteriora consentiunt.

Similem rerum inversionem in plurimis Scripturæ locis reperias. Unum dumtaxat exemplum proferemus ex eodem Evangelistâ depromptum : *Maria Magdalene , Jacobi et Salome . . . veniunt ad monumentum , orto jam solè ; et dicebant ad invicem : quis revolvat nobis lapidem ab ostio monumenti ? Et respicientes viderunt revolutum lapidem , erat quippè magnus valdè. (Marc. cap. 16, v. 1. et seq.)* Nemo non videt hæc verba , erat quippè magnus valdè , cum immediatè præcedentibus non congruere ; sanctæ enim mulieres non idèò revolutum viderunt lapidem , quia erat magnus valdè.

Ut ergo naturalis habeatur verborum ordo et series , sic legere necesse est : *dicebant ad se invicem : quis revolvat nobis lapidem ab ostio monumenti ; erat quippè magnus valdè ; et respicientes viderunt revolutum lapidem.*

Obj. 11^o. Sic habet S. Lucas : *Factum est autem n diebus illis , exiit edictum à Cæsare Augusto , ut describeretur orbis universus. Hæc descriptio (dénombrement) prima facta est à Præside Syriæ Cyrinus (cap. 2. v. 1. et 2.)*

Hinc Evangelistam increduliduplicem ob causam falsi accusant. 1^o. Inquiunt , de illa recensione omninò silent Tacitus et Suetonius ; si verò facta fuisset , numquid de isto eventu tacuissent , qui eò magis illustris foret , quòd nullus similis in toto imperio extiterit , vel saltem à scriptoribus referatur.

2^o. Cyrinus ille , ex Josepho et aliis autoribus , Syriæ Præsides non fuit , nisi decem circiter annis post Herodis mortem , et post tempus à Luca designatum. Tunc à Quintilio Varo Syriam administratam esse constat ex numismatibus.

Resp. ad 1^{am} cum D. de Tillemont , satis mirum

primò videri , quòd historici totius Imperii recensione Augusti jussu sub Christi natalibus factam siluerint. Verùm accuratam illius Imperatoris historiam Dio solus conscripsit. Intercidit autem illius historiæ pars ab anno Romæ conditæ 748 ad annum usque 758 : porro intra decem illos annos memorari debuit hæc recensio. Hujus autem facti veritas indè constat , quòd S. Justinus et Tertullianus Hæreticos et Paganos ad acta publica remittant , quæ adhuc extabant , eamque descriptionem testabantur.

Resp. ad 2^{am}. Hæc S. Lucæ verba , *descriptio hæc prima (Græcè protè) facta est à Præside Syriæ Cyrino* , in textu originali , hunc sensum admittunt : *hæc descriptio facta est , antequàm Cyrinus foret Syriæ Præsides*. Sic Evangelista primam hanc descriptionem à Varo , vel juxtà alios , à Saturnino factam distinguit ab altera quæ sub Cyrino , post mortem Herodis perfecta est. Vocem autem Græcam , *protos* , *primus* , aliquandò significare antè , priusquàm , plurimis exemplis demonstrat eruditus *Bullet* in opère cui titulus : *Réponses critiques* , etc. (tom. 1. pag. 456. et seq.) unum aut alterum proferamus : S. Joannes Baptista de Christo loquens sic habet : *Qui post me venturus est , antè me factus est , quia prior (Græcè protos) me erat ; id est , antè me (Joan. 1. 15.)* Christus suos discipulos sic alloquitur : *Si mundus vos odit , scitote quia me priorem (Græcè proton) vobis odio habuit ; id est , me antè vos odio habuit. (Joan. 15. 18.)* Quo sensu semel admissio , nulla superest difficultas.

Quinimò ipsa lingua Gallica interdum vocem hanc *premier* adhibet pro istis *avans* , *auparavant*. Cujus rei argumentum videre est in Dictionario Gallicè dicto *de Trevoux* , ubi sic legitur : *Premier se dit quelquefois adverbiallement , antèa. Dieu tout premier , puis pere et mere honore. C'est ainsi que commence Pibrac. Il étoit au monde premier que vous fussiez né , c'est-à-dire , devant*

Un Moine n'oserois sortir, que premier il n'en ait demandé permission. En ce sens il vieillit.

Obj. 12. Evangelium suum ita claudit Joannes: Sunt autem et alia multa quæ fecit Jesus: quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum cupere posse eos, qui scribendi sunt, libros. Quis autem sanus, aiunt nostri Sophistæ, hyperbolem ferat adeò ridiculam et immoderatam? Quis crederit eam à Spiritu Sancto suggeri potuisse?

Resp. adversarios in Evangelistæ verbis nimiam hyperbolem non deprehendere, nisi quia vocem mundus alieno sensu accipiunt. Nomine enim mundi totum globum terrestrem intelligunt. Quo sensu fatemur Apostolum ultrâ modum exaggerasse: sed aliam significationem habet vox mundus in Joannis Evangelio. Sæpissimè enim homines aperte designat. Hujusmodi sunt loca in quibus dicitur Christum esse lumen mundi, eum tollere peccata mundi, eum non missum à Deo fuisse in mundum, ut judicaret mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Quæ omnia non de globo terrestri, sed de hominibus qui eum incolunt, intelligenda esse nemo non videt.

Præterea verbum capere non significat tantum continere, sed etiam concipere, imaginari. Quo posteriori modo hic accipiendum est. Objecta ergo Joannis verba, quæ incredulos tantoperè offendunt, ad eum sensum revocantur: si quæcumque à Christo gesta sunt, particulatim recensèrentur, vix homines conciperent quot libri ad ea sigillatim describenda necessarij essent. Quia in expositione adhuc quidem superest hyperbole; sed adeò temperata, ut incredulis offensionem esse non debeat: aliæ enim apud nos occurrunt longè audaciores.

Difficultas ex duabus Jesu Christi genealogiis petita.

Eam potissimum difficultatem confidenter obtrudunt increduli, quæ ex duabus Christi genea-

logiis in speciem (en apparence) oppositis ducitur. Utramque simul conciliari posse negant, et multiplici falsitate laborare contendunt.

Observandum est autem 1º. cum D. Bullet, quem ducem hic potissimum sequimur, injustum fore quod à nobis evidentem utriusque genealogiæ concordiam postularet. Longo enim temporum lapsu interierunt monumenta, quæ ad depellendam omnem obscuritatem essent necessaria. Id unum à nobis exigi potest, ut nodum illum modo quodam probabiliter extricemus. Ubi in scriptoribus Romanis et Græcis quædam occurrunt impedita, quæ secum pugnare existimantur, ab eruditis non postulantur, ut eam afferant lucem quæ nihil nubeculæ relinquat: at satis esse putant omnes, ut probabiliter quædam conjectura conciliantur, quæ pugnantia videntur. Cur ergo, ubi de sacris Libris agitur, magis difficiles et morosos sese præberent adversarii?

Observandum 2º. præter antiquitatem temporum, alias esse obscuritatis quæ in Judæorum genealogias invecata est, causas; nempe illius populi usus et consuetudines. Præcipuebat enim lex Moisaica, ut frater viduam fratris sui natu majoris uxorem duceret, cum iste sine liberis obiisset. Qui ex posteriori illo matrimonio procreati erant infantes, ad fratrem natu majorem pertinere censebantur, ita ut ipsi duo essent patres, alter nimirum à natura, et alter à lege. Præterea apud Judæos in usu erat adoptio, tantamque vim obtinebat, ut fratrem à lege eximeret, quæ præceptum erat, ut viduam fratris sui natu majoris duceret uxorem, quamvis iste non alium reliquisset filium, quam adoptivum. Denique eidem personæ duplex sæpè nomen erat. Sic Jacob et Israel, duo sunt ejusdem hominis nomina. (Gen. 35. 10.) Sic Joachim filius Josiæ Regis Judæ, Eliakim etiam cognominatus est. (Lib. 4. Reg. cap. 23. v. 34.) Ex geminis autem illis nominibus et patribus, plurimum obscuritatis in Judæorum genealogias invecata est.

Nunc oculis subjiciendæ sunt duæ Jesu Christi genealogiæ, quarum alteram S. Matthæus, alteram verò S. Lucas descripsit.

Genealogia J. C. secundum Matthæum.

Tres dividitur in classes; Abraham caput est primæ, quæ desinit in Davide; secunda incipit ab eodem Davide, et finem habet in Josia; tertia initium ducit à Jechonia, et clauditur in Jesu Christo. Subjectas inspicite tabellas.

1 ^a . Classis.	2 ^a . Classis.	3 ^a . Classis.
1. Abraham.	1. David.	1. Jechonias.
2. Isaac.	2. Salomon.	2. Salathiel.
3. Jacob.	3. Roboam.	3. Zorobabel.
4. Judas.	4. Abias.	4. Abiud.
5. Phares.	5. Asa.	5. Eliacim.
6. Elron.	6. Josaphat.	6. Azor.
7. Aram.	7. Joram.	7. Sadoc.
8. Aminadab.	8. Ozias.	8. Achim.
9. Naasson.	9. Joathan.	9. Eliud.
10. Salmon.	10. Achaz.	10. Eleazar.
11. Booz.	11. Ezechias.	11. Mathan.
12. Obed.	12. Manasses.	12. Jacob.
13. Jesse.	13. Amon.	13. Joseph.
14. David.	14. Josias.	14. J. Christus.

Genealogia secundum Lucam.

Genealogiam hanc non aliùs quàm à Davide repetimus, quia ex eo tantum gradu cum altera pugnare videtur.

David.	Eliakim.	Levi.
Nathan.	Jona.	Mathath.
Mathata.	Joseph.	Jorim.
Manna.	Juda.	Eliezer.
Melea.	Simeon.	Jesus.

Her.	Juda.	Joseph.
Elmadan.	Joseph.	Janne.
Cosan.	Semei.	Melchi.
Addi.	Mathathias.	Levi.
Melchi.	Mahat.	Mathat.
Neri.	Nagge.	Heli.
Salathiel.	Hesli.	Maria, mater
Zorobabel.	Nahum.	Jesu.
Reza.	Amos.	
Joanna.	Mathathias.	

Obj. 1^o. Josephi et Mariæ geneologiæ mera sunt commenta. Ubinam reperire potuerunt Evangelistæ stirpium seriem, e quibus suum genus ducebant homines adeò pauperes et abjectæ conditionis?

Resp. Eam invenerunt in tabulis genealogicis, quas Judæi longè studiosius servabant, quàm alius quilibet populus. Ad illas diligenter asservandas eos excitabant gloria et utilitas. Summo enim honori ducebant ad populum Dei pertinere. Præterea cum prohiberet lex ne heredia extrà familias transferrentur, Judæorum intererat posse suam cum nonnullis hominibus cognationem demonstrare, ut suum in eorum hereditatem jus ostenderent. Quamobrem in sacris libris occurrunt, non Regum dumtaxat et magnatum, sed etiam hominum è vulgo geneologiæ. Sic Achan qui lapidibus obrutus fuit, quia sibi aliquid ex spoliis Jericho clam retinuerat, privatus tantum erat Israelita: illius tamen genealogia describitur. (*Lib. Josue, cap. 7. v. 18.*)

Præterea testatur Hegesippus secundi seculi scriptor, Domitiani et Trajani temporibus, adhuc extitisse Christi cognatos, quos à sanguine Davidis oriundos palàm constaret. Numquid vero id constare potuisset, nisi titulos habuissent, quibus suam à Davide originem demonstrarent? Facile ergo potuit Matthæus tabulam genealogicam consulere quæ apud Christi consanguineos simul et discipulos servabatur. (*Euseb. Hist. Eccl. lib. 3 cap. 20 et 23.*)

Obj. 2^o. Matthæus suam in genealogiam alios admittit, alios ab ea pro suo arbitrio excludit. v.g. Secunda in classe ab eo prætermissi sunt Reges *Ochosis*, *Joas*, *Amasias*, qui inter *Joram* et *Oziam* interponi debuissent. Nonne satius erat genealogiam, serie non interruptâ, nulloque dempto, contexere?

Resp. Matthæus Christi genealogiam non temerè descripsit, sed in ea concinnanda certum adhibuit consilium. Id patet 1^o. ex genealogiâ in tres classes æquales divisione; 2^o. ex eo quod unius cujusque classis initium repetat ab epocha apud Judæos conspicua. Primam enim incipit ab Abraham qui gentis parens fuit; secundum à Davide qui familiæ regiæ veluti radix extitit; tertiam à captivitate Babylonica; 3^o. ex eo quod curaverit, ut quæque classis personam quamdam insignem exhiberet. Sic Abraham caput est primæ; sic David primum in secunda locum habet, quamvis in fine primæ jam collocatus fuerit; denique tertia in Jesu Christo desinit.

Dum autem Evangelista quasdam personas omisit, suæ gentis consuetudinem secutus est: apud scriptores enim sacros vix duas genealogias reperire est integras et completas, quando longissimum temporis intervallum complectantur. Cujus rei plurima exempla suppeditat *D. Bullet*. Præterea cum Matthæo id consilii fuerit, ut generationes ex Abrahamo ad Christum usque reduceret ad 42, vel ter quatuordecim, sicque memoriæ consuleret, ex Christi genealogia demptas oportuit quasdam personas.

Obj. 3^o. Modus quo genealogiæ classes dispo-
nimus, gravi laborat vitio: in duabus enim clas-
sibus eadem constituitur persona, nempe David,
qui primam claudit, et secundam aperit.

Resp. Id vitio verti non debet, quod Evange-
listæ consilio maxime accommodatum est: ipse
enim 14 generationes numerat ex Abrahamo usque
ad Davidem; quo in numero certè continetur David
ipse: alioqui 13 tantum essent generationes. Mat-

thæus rursùm Davidem in secundæ classis capite collocatum voluit, dum ait 14 esse generationes à Davide usque ad transmigrationem Babylonis. (Cap. i. v. 17.)

Si verò quæsieris cur Evangelista Davidem initio secundæ classis appellet, sicque eum bis numeret, in promptu est ratio: 1^o. Princeps ille ex Christi majoribus fuit illustrissimus; 2^o. ex ipsius sanguine oriturus erat Messias; 3^o. cum in texenda genealogia eò spectaverit Matthæus, ut Christum esse Messiam demonstraret, ostendere præsertim necesse fuit Christum ex Davide, à quo nasciturus erat Messias, genus suum ducere; eas ob causas Davidem, præ ceteris Christi Majoribus commendat, eumque secundæ classi præficit, quamvis per eundem primam clauserit.

Obj. 4^o. Christi genealogiam promittit Matthæus et tamen Josephi, qui ipsius pater non erat, stemma gentilitium contexit.

Resp. Apud omnes constat hanc fuisse Judæorum consuetudinem, ut aliquem reputarent illius filium, à quo vel adoptatus, vel educatus fuerat. *Patet est qui educat*, inquit Rabbini. Apud omnes etiam gentes eadem jura dat adoptio, ac ipsa natura. Cum ergo Jesus ad Josephum tum adoptionis, tum educationis jure pertineret, ejus filius dici potest, et debet idcirco Scriptura Christum Josephi, sicut et Mariæ, filium appellare solet.

Cum verò testetur Matthæus, Jesum occultâ Spiritûs Sancti virtute conceptum fuisse, non potuit illius genealogiam describere ex parte ipsius Patris secundam naturam; eam idcirco exhibuit ex parte Josephi, cujus erat per adoptionem et educationem, filius.

Obj. 5^o. Josephum filium esse Jacob sic testatur Matthæus: *Jacob autem genuit Josephum virum Mariæ* (cap. i. v. 16.); eundem verò S. Lucas nuncupat filium *Heli*: *Jesus*, inquit, „„ putabatur

filius Joseph, qui fuit Heli (cap. 3. v. 23.) inter se igitur pugnant illi Evangelistæ.

Resp. Nullam esse inter Matthæum et Lucam dissensionem; Joseph enim erat filius naturalis Jacob, quod satis apertè designat Matthæus: *Jacob autem genuit Joseph.* Idem est filius Heli per affinitatem, quia filiam Heli, seu *Eliacim*, seu *Joachim*, uxorem duxit. Hæc autem erat Israëlitarum consuetudo, ut genero nomen filii imponerent; quod innumeris compertum est exemplis. Sic David Saulem appellat patrem suum, (*lib. 1. Reg. 24. 12.*) et Saul Davidem vocat filium suum (*ibid. v. 17.*): apud varios populos obtinet idem usus. Apud nos gener uxoris suæ patrem, suum etiam patrem nuncupat; socer autem (*le Beau-pere*) suæ filię maritum nominat filium suum. Joachim verò Mariæ patrem fuisse docet perpetua Ecclesiæ traditio. Diximus filiam *Heli*, sive *Eliacim*, sive *Joachim*, quia tria hæc nomina idem apud Hebræos significant. Id constat exempli summi Sacerdotis qui tempore Manassæ vivebat; appellatur enim; *Hil, Helcias, Eliacim, & Joachim.*

Obj. 6^o. Matthæus nepotes Zorobabelis enumerat per *Abiud*, et decem tantum occurrunt usque ad S. Josephum inclusivè. S. Lucas ejusdem Principis posteros describens per *Resam* alterum ipsius filium, decem et novem recenset, usque ad Mariam S. Josephi uxorem inclusivè. Numquid autem credibile est in duobus ejusdem stirpis ramis, alterum alteri præstare numero generationum, qui dimidio sit major.

Resp. non semel contingere ut duo ejusdem stirpis rami, intrâ idem temporis spatium, generationum numero insigniter à se invicem differant. Cujus discriminis illustre exemplum videre est in Scriptura. Filii Jacob, velut totidem rami ex eadem stirpe prodierunt, undè variæ Tribus originem sumpsere. Anno postegressum ex *Ægypto*, Moyses Tribus singulas recensere à Deo jussus est. Quantum

verò inæqualitatis inter eas animadversum est, et maximè inter duas Judæ et Levi Tribus! Prior enim 75 masculorum millia continebat, à vigesimo anno et suprâ (*Exod. 1. v. 26. et 27.*) posterior verò 22. millia, à mense uno et suprâ. (*Ibid. cap. 3. v. 39.*) Hinc patet quanta in duobus ejusdem stirpis ramis esse possit intrâ idem tempus generationum inæqualitas.

Obj. 7^o. Si Matthæo credas, *Salathiel* fuit *Jechoniæ* filius; si Lucæ fidem adhibeas, erat filius Neri: quæ duo sanè pugnant.

Resp. hæc duo non difficile conciliari. *Salathiel* enim fuit *Jechoniæ* filius naturalis; cum autem filiam Neri uxorem duxerit, ipsius etiam filius erat per affinitatem; ita S. Joseph simul fuit et filius *Jacob* ex natura, et filius *Heli* ex fœdere (*par alliance*) ut suprâ exposuimus.

C O R O L L A R I U M;

Ergo Religio Christiana divinitus revelata est; splendidi enim revelationis characteres sunt miracula et Prophetiæ: atqui in Religionis Christianæ gratiam, vera Deus miracula, verasque Prophetias, edidit, ut constat ex Novi Testamenti libris, quos authenticos, integros, veraces esse demonstravimus; ergo Religio Christiana divinitus revelata est, ac proinde vera et divina.

